

140.

I 138.

Konrad Grebel¹⁾ an Vadian.*Paris. 1519. Januar 29.*

Wortreiche Entschuldigung seines langen Briefes. Schilderung seiner Zwistigkeiten mit Glareanus wegen Wohnungsverhältnissen und wegen eines Vorfalles bei einem Zechgelage. Bericht über Gelehrte in Paris. Sein Wunsch, nach Italien zu gehen. Sein Gesundheitszustand. Dringendes Verlangen, seine Schwester Martha mit Vadian vereint zu wissen. Politische Vorkommnisse. Grüsse an Bekannte.

Salve, præceptor charissime. Dedi ad te literas Iliade longa longiores et forsitan multo verbosiores, quam aures tuę elegantissimę mererentur; verbosiores autem, ut et meum in te animum, hoc est deditissimum, et status mei universam conditionem retegerem. Nunc vero cum omnia mecum sursum ac deorsum devoluta sint, non potui non multis, stupidorum tamen verborum myriadibus²⁾, eandem status mei perturbatam telam retexere. Tu (ut soles) plana fronte hæc, quęcunque tecum aut conqueror aut nugor, legito, eam ob causam, quod sis, quem inter præceptores meos omnes ferventissimo amore et infatigabili observatione, cum propter tua ingentia in me beneficia collocata, tum propter rara et doctrinę et fortunę, quę in te sunt, ornamenta, prosequar afficiamque; deinde quod mihi ipse persuadeam, verbositate mea, sive ea muta fuerit aut viva, nunquam, cum unice a te amarer amerque, adeo molestum fuisse. Et cur non auderem deberemve apud illum omnia animi mei consilia evomere, quem post pientissimos parentes, non divina lege tamen, sed naturali etiam instinctu venerandos, efflictim exosculer, atque adeo exosculer, ut, quibus id verbis exprimi possit, nesciam. Iam vero evomo.

Patris et Micōnii commendatione meisque precibus persuasus inter suos discipulos et coępulos me Glareanus acceperat³⁾. Locus supererat in camera eius domus, quam inhabitabat; in eam ego recipior. Tres mecum morabantur, quod forsitan studiis meis incommodum erat. Hiems⁴⁾ membra frigoris impatientia⁵⁾ urebat, nec erat caminum, sub quo more Gallico extracto igne frigus arcerem. Conveni Glareanum, ut favore eius mihi cameram mutare liceret in eadem domo. Ille me, nihil prohibens aut permittens, mollitiei⁶⁾ incusabat et consilio meo repugnabat. Interim cum sæpe in commodiorem locum se recepturum promitteret, nihil tamen efficiebat nec facturus erat, donec quidam discipulorum eius hospitem offendissent, sed levi admissio, graviter. Qui cum offensus

esset, Glareanum e sua domo concedere iubet. Soluti hospite migrat, et ego quoque migrabam; cameram, in qua esset et caminum, et studorium eligo. Illa satis morose mihi conferebatur. Ego cum meis sociis fornacem in studorio ponebam; fornax impatiens tum ignis ob humiditatem fumabat et prope manentibus bilem excitabat. Minantur se fracturos fornacem, multis contumeliis et minis nos obruentes. Cum nollem nisi Glareani pace olim ab ipso discedere, videbar non alio pacto efficere posse, quam si mutato hospitio^{f)} continuo Glareanum cum suorum quibusdam relinquerem, priusquam post solitas inter nos mutuasque rixas ad mutua verbera inferenda descenderemus; quod si factum esset, maiori odio et excandescencia hominis abissem. Præterea cum me plura in iram excitarent, per huius animę meę summa dispendia iurabam, Glareani domo quam primum possem longum valere dicturum. Sub hæc (non enim præsens erat), quę inter nos facta essent, omnia illi narro, consiliumque, quod ceperam, expono addoque, me et invenisse et conduxisse quoque cum aliis quibusdam domum, in qua vaporarium extractum esset; in eam ergo me exiturum. Quibus ille verbis contenderit et pugnaverit, quibus ego, quibus alii, non facile enumeraverim. Animi mei decretum cum non mutarem nec liceret iuramento impeditum mutare, id quod statueram exequor. Ille, quoniam ego desiderassem^{g)} recipi et ab eo ipsa dictorum patris et Miconii commendatione permoto receptus fuisset atque abire pararem mirum in modum iratus parenti meo tibi que omnia se scripturum minabatur. Ego nihil territus Kalendis Ianuarii præceptorum^{h)} meum cum suis salutavi discessique. — Ante quam hæc fierent, graviter mecum Glareanus dissensit; cur autem dissentiret, causa hæc fuit. ^{i) (Joannes)} Leopoldus Grebelius, affinis meus, celeres regiones ad prandium invitaverat. Veniebant illi et more militari egregie potabant et mihi, tum aliis quoque propinabant. Ego cum solus paria facere vellem, quo milites hilariores essent, paulatim temulentus fiebam; tacite certe blandum venenum vinum nec ebrietatis admonens illabebatur. Protinus ergo, ut aiunt, cum vino residente verba supernatarent, per vulnera dei præsentem Glareano et ioco iurasse dicor et bacchanalia celebrasse. Iubente Glareano abducebar. In grabathum iniectus, quod cum præfatione honoris tui dixerim, imbibitum immoderate vinum revomebam. Quod cum per delatores accepisset, stomachabatur, mecumque aliquamdiu pauca loquens, etiam cum salutaretur, egre submissa admo-

dum voce respondebat. Non videbatur me venia velle dignari; cum tamen ex suis unus prius simili errore deliquisset, quem tamen longe me benevolentius tractaret, nec me, ut præceptor debuisset, increpabat. Quod cum futurum fore mihi persuasissem, non rogabam, ut ignosceret, rogaturus, si pro officio reprehendisset. Id quod cum primis diebus aliquot neglexisset, tandem amicis verbis castigavit. Ego partes meas agens, quibus potui verbis eum ipsum orabam, ut perquam modestissime victuro ignosceret, et ad primum facinus conniveret, obsecrabam. Ignoscere quidem putabam, sed lente amare credebam, et ingratum me illi ob hoc admissum esse certis indiciis notabam; exercere illum simultatem cæcus vidissem. Cum ex his magnopere cruciarer, quod me morari apud eos oporteret, quibus ingratus essem, superius dicta causa accedente nunc non apud Glareanum, ut dixi^{h)}, moror, verum alibi apud civem honestum, ne me forsitan pergræcandi causa illud quispiam fecisse^{d)} arbitretur. Quid, si nec illic bonis literis frigidam operam navo? Beraldum nempe, virum doctum, Quintiliani oratorias institutiones cum Valla interpretantem audio. Glareanus suis mihi lectionibus interdixit; publica non poterit, si regius poeta pronuntiabitur^{k)}; nondum enim pronuntiatus^{l)} est. Stipendium, quod propter Helvetiorum iuvenes habere fertur, aut, ut sperat, augetur, aut, ut dubium est, ipse Beraldusve provinciam poeticæ lectionis suscipiet. Quamdiu Lutetie^{m)} mansurus sim, ignoro. Bononiam certe Italiamque in animo habeo olim visere; comites citius mihi deerunt, quam aut pecunia aut animus in Italiam concedendi. — Quod ad te attinet, Budeus in loco illo Pliniano, quem te nobis ostendere meministi, ubi dictio negativa iudicio tuo aliter ponenda erat, repugnat. Glareanus non admittit Helvetios hodie Germanos esse. Idem in omnibus doctis viris Græcitatem et amorem effictionis novorum vocabulorum, quantum ad gentilicia et locorum non Latine interpretatorum nomina attinet, desideratⁿ⁾. Si Vadiano mastiges^{o)} essent, qui nomini tuo obstrepere conarentur, non credis, quam pro te Leopoldus et ego fortem pugnam pugnaremus. Qui te de facie scriptisque^{p)} cognoscunt, si doctrinę ubertatem et morum integram comitatem spectes, tibi sponte palmam tribuunt. — Ad me redeo. Ut corporis mei optimam rationem habeam, in postremis tuis ad me datis admones; haberem quidem, si possem aut scirem, quando pedes mei non minus valetudinarii sint quam essent, cum Viennam nondum reliquisset. Causam reor esse, quod brumali

Co, h.

d'Ce

ll, " "

—

272/276

276

276

276

276

frigore plusquam læsi necessario⁹⁾ doleant; et merito, quum me sæpe pensili Fenere mulieribus miscuerim. Vix hoc confessus sum, sed os epistolæ non erubescit; tu quoque hæc adeo scies, ut nescire videare. Præceptor es, si quid confitendum est, Harpocrates, si quid silendum. Medicus sis quoque, qui es medicus. Nisi enim absenti consulas et opem feras, ut quo remedio sanabili morbo occurrere debeam, de bona valetudine pedum desperavi. Fac, quod facies. — Koblerii gener Lutetiam⁷⁾ venit, mecumque semel pransus te Viennæ et uxorem nullam adhuc duxisse narravit. Nimis ergo mane, ut illud (putabam enim iam duxisse) tibi tuisque felix⁹⁾ faustumque esset, optavi. Dicerem, quod sentio; sed vereor, ne putes me non ex animo dicere, cum id ipsum, quod in buccis iam est, ex animi vel intimis medullis sit profectum. Vir es unus omnibus præstans⁹⁾, integritate profecto et humanitate doctrinaque coniunctis inter omnes Helvetios facile princeps, fortunæ muneribus dives, splendidissimis rarisque titulis (id quod unus maxime merebaris) decoratus, honestissimis domique ditissimis parentibus felix⁷⁾ et te filio tali pari modo felices⁹⁾ parentes: es, ut paucis dicam, totius patriæ nostræ oraculum. Quo hæc tendant, miraberis. Sororem habeo (si nescis) nubilem; ea ipsa parentes habet non tam divites quam honestos forsitan, ne de illis panegyricum faciam aut eisdem paupertatem obiiciam; simplex est, quod iuvenis; tui cupida, quia talis es; pudica, quod ita educata. Parentes hanc tibi desponsaturi generum te præ aliis omnibus, quod præ aliis omnibus emineas, eligunt, ego te sororio, soror marito non felices⁹⁾ esse non poterimus. Quod ergo matrimonii vinculo nulli adhuc devinctus es, occasio in uxorem ducendi sororem meam superest, et maxime, quod eam superesse congratularis; tuis literis enim credo. Superest, si ipse velis, maxime, et minime superest, (quod non vereor) si requisiturus sis in futura coniuge, quæcunque futura est, spectabilem formam, a socero, quicumque te genero passim cantabitur, grandem cum filia dotem. Fata incusabimus malignitatis, si soror mea ea non erit, quæ Thalassioni deferenda sit. Quam simplex es, nimirum dices, quam pueriliter scribis, quam inaniter gannis, quam vecordi battalogia obstrepis! At amor hæc omnia iubet, amor ille erga te meus; quo te ipsum magis quam credas et ego exprimere queam, iam dudum optime de me meritum meique amantissimum præceptorem, prosecutus sum atque etiamnum prosequor redamantem prosequarque, dum fata sinent perquam diutissime, et eo magis, quo magis affinis eris, nec eo minus, quo minus

TV
- quia
- quia
- quia

- quia
- quia
- quia

22

affinis eris. Ea videlicet alumnus tuus (garrus, sed veraciter) amoris et observationis erga te, mutuo de palma luctantium, fundamenta ieci, ut nec fortunæ malignitate nec temporis edacitate aut amor aut observatio corruere queat. Hæc omnia deblatteravi, ut omnem meum statum, animum, amorem, tui venerationem nec minus omnium meorum non minorem adversus Vadianum, virum undecunque clarissimum, voluntatem a summo vertice ad imos usque talos intus et in cute contemplareris. — Cum epistola ad te scribenda occuparer, sed, si mavis, delectarer, Cæsarem quidam simul cum imperio vitam reliquisset, Franciscum nobilem quendam magno conscripto exercitu Helvetiæ urbes, quæ ab imperio descivissent, oppugnaturum aiebant. Fortes habet patria nostra, ob unicam semel fugam toties notata, viros utpote reipublicæ defensores, habet eadem imbelles, heu privatæ rei intentos. Nihil timebo illinc, hinc maxime; nec hinc quoque, suæ enim salutis nullus non immemor et vindex erit. Rex Galliæ (ut quidam nugantur) Germaniæ Romanum imperium, Cæsareum nomen, vide quam bene hæc convenient, sibi promittit. Hoc apud nos novi erat et illud quoque: Huldericus Zinlius Tiguri parochus, Valentinus Scudus, qui literas meas patri ad te datas ex Gallia tulit, Glareanæ dictus est. — Cum rebus meis Viennæ⁹⁾ relictis quicquid ages, non poteris male agere. Magistrum Guolfgangum, tuum illum comphilosophum, meum vero patronum, cui ob merita paria, ob amorem item amorem, ob doctrinam venerationis obsequium semper debebo, fratrem tuum, quod tui similis est et mihi familiaritate iungebatur, Ioannem de Hinwil, veterem meum amicum, Clivanum, qui mihi coniunctissimus esse meruit, Binderium, qui noluit, charum tamen, Andream, si tecum est, amore et meritis mutuis mihi devinctum, denique omnes, qui a me salutari non respuunt, nomine meo salutato. Nisi qui imperare mihi omnia potes, scripturum ad te paucis iubeas expedire, ego semel, ut hirundo⁹⁾, in colloquium epistolare admissus, sine fine ære Dodonæo loquacior longius tecum, quam adhuc unquam, quotiescunque agere dabitur, agam, Sed quicquid imperabis seu non imperabis, ipse meam garrulitatem, aiunt enim omnem intempestivam esse, quoniam amor meus non sit intempestivus, non intempestivam esse arbitror. Non importunus autem amor meus est, quum nullus amor non importunus importunus est; nisi sit hoc ipso, quod garriam. Ne autem sit, tu iussisti. Superioribus ad te datis literis per deum optimum maximum respondeas oro; his quoque,

- quia

quam primum potueris. Vellem epistolam tuam Pontani praeliminarem ad me scriptam habere. Vale undecunque doctissime et charissime preceptor; tam diu inquam et vive et vale, quam ego te incessanter amo, suspicio, praedico ^{x)}. Ex Lutetia ^{y)} Parrisiorum, quarto Kalendas Februarii, anno salutis MDXVIII.

Conradus Grebelius,

tuæ Humanitatis pedum tuorum suppedaneum.

Viro integerrimo, poetæ clarissimo, medico optimo Ioa chimo Vadiano Helvetio, preceptoris suo colendissimo.

a) „miriadibus“. — b) „adceperat“. — c) „Hyems“. — d) „impacientia“. — e) „molliciei“. — f) „hospicio“. — g) „desyderassem“. — h) „preceptorem“. — i) „facisse“. — k) „pronunciabitur“. — l) „pronunciatus“. — m) „Lutetie“ (das zweite „e“ geschwänzt). — n) „desyderat“. — o) „mastyges“. — p) „scriptisque“. — q) zweimal geschrieben. — r) „Luteciam“. — s) „foelix“. — t) „prestans“. — u) „foelices“. — v) „Vienne“. — w) „hyrundo“. — x) „predico“. — y) „Lutecia“.

l) Vrgl. I, Register.

1519 Febr. 10 J.L. Decius

III, 179 Nr. 44.